

erectis in altum brachiis tamquam molem totam sustentaturus, perstitisse fertur; sed montis ruina saxorumque illapsu obtritus est, Maiol. tom. IV. coll. I. Idipsum experiri merentur, qui de misericordia Dei præsumunt. Quomodo enim peccatores pondus divinæ iræ, quotidie sibi accrescens perpetuoque imminens sustinebunt? Quanto magis amplificandæ Dei bonitatem, in qua confidunt; tanto magis exaggerant peccatum suum, quod in illam committunt, et aggravant Dei justitiam, per quam aliquando repente et in ira absorbeantur. Adde quod ejusmodi homines Deum pro amante habent, quem ideo offendunt, quia facile placandum putant. Sic enim stultos et pueros vexamus vel probro afficimus, quia scimus eos facile placari et nobis reconciliari. At non est hoc iram Dei in se exacerbare? *Nolite errare, Deus non irridetur*, inquit apostolus, ad Gal. VI. Misericordia et justitia Dei duæ sorores sunt; qui peccat in misericordiam, justitiam quoque irritat, et hæc vindex est illius. Qui de misericordia præsumit, justitiam contemnit, et quodammodo a Deo exterminat. Audi psalmistam: *Dulcis et rectus Dominus*, inquit Psalm. XXIV. *Ama quod dulcis est, time quod rectus est*, inquit S. Augustinus, tr. XXXIII. in Joan.

Deinde, isti perinde agunt cum Deo, ac si teneatur eis scelera condonare, adeoque Dei misericordiam in jus quodammodo suum trahunt, quasi eam in manibus suis haberent. Non ita, sed: *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*, ait Dominus Moysi, Exod. XXXIII. Hinc quoniam bonus latro humiliter a Christo veniam petit, tantum videlicet ut meminisset sui, indignum se existimans qui consortium regni ejus postulare auderet, ideo eam consecutus est; malus contra repulsus, quia opem a Christo quodammodo extorquere quasi de jure tentavit dicendo: *Si Filius Dei es, salva te ipsum et nos*. Ecce quam importune et quanto cum contemptu vilissimus homo opem a Deo petit? Unde merito respondit ei socius: *Neque tu times Deum?* q. d. nobis timenda potius Dei justitia, quam misericordia ejus tam temere postulanda.

II. Alii dicunt: Longanimis est Deus, qui non subito punit, sed expectat peccatorem, donec redeat ad se uti filius prodigus, et alii quos videmus plurimi: itaque lætemur interim et desideria cordis nostri sequamur. Sed quid ad hoc ait Dominus: *Si dixerit malus servus*, inquit Matth. XXIV. *in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, et cæperit percutere servos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis, veniet Dominus servi illius in die qua non sperat et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis:*

*illie erit fletus et stridor dentium*. Hoc itaque lacerantur isti, ut Deus quasi ex insidiis eos insperato adoriatur, quibus alias aperto Marte prælium indicturus erat, per prævias ægritudines vel senectutem, etc. Decipiuntur ergo, sicut qui latiore fossam præsumunt transilire, quia minus latam reputant, interim in saltu latiore deprehendunt et incidunt in eam. Prudens vero quærit pontem. Multi paschale tempus terminum sibi præfigunt, alii alium, quo agere pœnitentiam velint, quasi certi sint, se breviculum hoc spatium facile superaturos, interim tamen sæpe numero non attingunt, sed prius in foveam sepulcri cadunt, aut aliter impotentes fiunt ad pœnitentiam agendam. Unde Proverb. XIV. dicitur: *Sapiens timet et declinat a malo, stultus transilit et confidit*. Hujusmodi fuit is, quem refert Stapletonus, in prompt. morali, si quando de pœnitentia agenda admoneretur, dicere solitum: *Hæccine mihi cura incumbat?* Ego in supremo articulo vitæ tribus verbis salutem consequar. Qui dum hiemali tempore, equo vectus pontem lacerum transire vellet, cum sibi cadendum et pereundum videret, tria illa verba protulit: *Capiat omnia dæmon*. Sicque cum equo demersus perit. Transiit per mare rubrum exercitus Hebræorum: sed non item Pharaon, qui in ipsam fossam incidit et perit, tametsi et ipse speravit se incolumem transiturum. Itaque licet hoc succedat aliquibus, non succedit tamen omnibus. Heri quis in hac via invenit marsupium, ideo ne etiam te hodie inventurum aliud speras? Volebant filii Noe ædificare turrim Babel ad celebrandum nomen, et sperabant omnino perficere opus suum antequam dividerent in universam terram: sed nequaquam attigerunt terminum sui; in ipso enim opere a Deo præventi, confusi et divisi sunt. Philo disertissimus Judæorum scribit de bibl. antiq. I. Reg. IV. duos filios Heli, Ophni, et Phinees, cum malæ vitæ essent, sibi persuasisse, Deum tollere e vivis homines, quando in meliori statu sunt; et ita secum quoque acturum. Sed turpiter decepti sunt, nam statim in prælio occisi, ut lib. I. Reg. cap. IV. legimus. Deprehenderunt isti *mendacium aquarum infidelium*, ut loquitur Jeremias, cap. XV. quia nimirum cum sperarent transitum, in ipso ingressu absorpti sunt. Abierant jam fatuæ virgines ad oleum comparandum, brevi redituræ: non tamen expectavit eas sponsus, sed: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias et clausa est janua*. Deinde, si Deus moram facit et dissimulat peccata tua, non ideo certus es, quod expectabit usque dum respiscas. Quid enim si ideo differat, ut tanto gravius feriat? Audi apostolum, ad

Rom. II. *Secundum duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die iræ*. Propterea Deus pro signo fœderis posuit nobis arcum in cælo, quod est instrumentum potius belli quam pacis. Nimirum per hoc: *Dedit Deus metuentibus se significationem ut fugiant a facie arcus*, Psalm. LIX. In quem locum S. Augustinus ait: « Videte quid sit in arcu: nonne sagitta in priora mittenda est, nervus autem retro extenditur in contrarium? Et quanto plus erit extensio retrorsum, tanto majore impetu illa currit in priora? Quid est quod dixi? Quanto magis differtur judicium, tanto majore impetu venturum est. » Sic ille, quanto altius elevat manum, tanto gravius ferit juxta id: *Elevavit manum suam ut prosterneret eos*, Psalm. CV. Unde merito sibi metuere debent, qui in peccatis diu impune degunt: hoc enim reprobis contingere solet, ut habetur II. Macch. VI. ubi dicitur: *Non sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas cum judicii dies advenierit, in plenitudine peccatorum puniat: ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet*. Signum ergo reprobationis est, diu impune peccare; quomodo ergo ex hac dilatione non potius iram, quam misericordiam prognosticamus? Quomodo cum olla rimosa in aquam mittitur, non illico demergitur, sed natat aliquamdiu et paulatim impletur aqua; quamprimum vero impleta fuerit, tunc repente absorbetur; sic enim impenitentes dimittuntur multo tempore, donec impleant mensuram suam et tunc in ira absorbeantur.

III. Alii dicunt: Bonus valde est Deus, nec magnopere offenditur peccatis; (uti nobis occiditur) videmus enim passim quod etiam peccatoribus prospera largitur: *Oves eorum fatosæ, boves eorum crassæ, etc.* Sed respondeo tanto magis eis timendum esse, ne cum epulone illo recipiant bona in vita sua. Quid si enim velut porci in præsens saginentur, ut mactentur ibi et oreo immolentur? Quid si instar reorum supplicio damnandorum ad duos tresve dies commode habeantur et opipare tractentur, postea suspendendi? Quomodo enim sibi, obsecro, persuadere possunt, se, cum male vivant, bene habendos esse et in hac et illa vita? Annon clare vident, se hoc non meruisse, sed potius demeruisse? Merito igitur illis suspecta esse debet talis prosperitas.

Animadvertunt aliqui rem sibi familiarem accrescere, tametsi malis artibus eam quæsierunt, et vetitis etiam diebus opificia sua exercuerunt, etc. Hinc contemprunt salutaria illa monita: Quod bona cum peccato parva non prosperentur, etc. Sed videant isti ne hæc luera in perniciem eis

cedant velui gramen cani et coturnices Hebræis, de quibus dicitur: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum et ira Dei ascendit super eos*. Audiant quod Jobi, cap. XX. dicitur: *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus*.

Denique, quis quæso, te sic argumentari docuit: Bonus valde est Deus, qui male etiam agentibus et inimicis suis bona multa tribuit: ego igitur malus ero et pro bonis mala ei rependam? Siccine recte agent, qui ideo percipient matrem, quia videant ab ea id patienter ferri et se insuper blandissime tractari, tenerrimeque diligi? Quid diceremus de ejusmodi filiis? In vita S. Zenobii legimus ejusmodi matrem, quæ delicatissime enutrierat filios suos, postea ab iisdem percussam genibus procubuisse, terram manibus pulsasse et omnes infernales furias in rabiem filiorum invocasse, non irritato eventu, ut vidimus alibi, dom. I. post eph. c. III. in fine lit. E. Contraria via incedendum est. Quia Deus bonus est, ideo et tu quoque bonus esse debes: et quia Deus tam bonus est ut et impiis beneficiat, duplex scelus est tantam bonitatem offendere. Hinc jure tandem fit ut Deus erga tam duros et ingratos duritiam et ipse induat, quemadmodum fecit erga epulonem, qui cum a Deo multa bona recepisset in vita sua, ingratus tamen et immisericors fuit ac durus: ideoque ad extremum Deum quoque durissimum invenit, quando nec guttam aquæ obtinuit.

## CONCIO VI.

## INVIDIE NEQUITIA.

I. Lucem hominibus invidet. — II. Partus diaboli est. — III. Proximum offendit. — IV. Nocet sibi ipsi. — V. Curationem refugit.

## THEMA.

*An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*  
Matth. XX.

Quid est, auditores, quod narratur in hodierno evangelio murmurasse operarios aliquos contra socios suos, invidendo illis mercedem, quam utrisque parem dari cernebant? Quis enim nescit per operarios istos denotari beatos, et per mercedem gloriam? At vobis quomodo in cælo murmur et invidia? Ego quidem existimo voluisse docere Dominum tam commune malum esse invidiam, ut, si possibile foret, aliquod in cælos vitium penetrare, invidia penetraret. Etenim licet invenire regionem, ubi non sint venena, quemadmodum affirmant de Creta: at



non licet invenire rempublicam, quæ non alat invidiam, nec domus est tam sancta, quæ immunis sit ab illa. In castris militat, in judiciis sedet, in academiis, capitulis, cœnobiis se insinuat. Reperta est in domo Adami, Isaac, Jacob, Moysis, et ipsius Christi collegio; et universim pulcherrima quæque turpissimum hoc malum sequitur, magno reipublicæ detrimento. Tantum enim est hoc malum ut S. Chrysostomus, hom. XLI. in Matth. scribat tales homines (invidos videlicet) instar rabidorum canum, lapidibus petendos et omni cruciatu torquendos. Nec injuria, quia plurimas in republica impedit actiones bonas, quæ nisi obstaret invidia, magno multorum bono prodirent. Hoc ergo vitium nunc lapidibus impetemus. Et quemadmodum David collegit sibi quinque limpidissimos lapides, quos jaceret in Goliathum: ita ego collegi mihi quinque fortissima argumenta, quæ jaciam in invidos. Optime depinxit Christus invidiam cum vocavit eam oculum nequam. Sic enim et Ecclesiasticus, c. XIV. dixit: *Nequam est oculus lividi et avertens faciem suam.* Ubi uno nequitiae vocabulo tota invidiæ malitia comprehenditur.

I. Ergo nequam est oculus invidi, quia lucem omnibus hominibus optatissimam et saluberrimam renuit intueri, imo extinctam cupit dum aliis invidet. Annon tibi videretur homo ille opido nequam esse, qui solem extinctum vellet, ne alii viderent ejusque lumine fruerentur? Hoc autem cupit invidus, quia Deum vellet non esse bonum, manum ejus vellet esse clausam aliis hominibus, atque adeo Deo, qui naturaliter propensus est ad bene faciendum et se communicandum, hostiliter se opponit. Et quemadmodum papiliones lucernam circumvolantes extinguere moliantur, ita invidi Dei bonitatem. Verum sicuti animalcula illa, seipsa amburunt, lucernam non extinguunt: ita invidi sibi tantum, non aliis præripiunt radios divinæ bonitatis.

Ad hæc invidus ex Dei bonitate occasionem malitiæ sumit et ideo, uti notavit Christus, malus est, quia Deus bonus est, quod signum est perditissimæ nequitiae. Cum enim videns Dei bonitatem in creaturas suas profusam, deberet ejus exemplo provocari ad similem bonitatem vel ad laudem saltem divinæ bonitatis, ille potius inde movetur in contrarium, et cupit homini ablatum, quod vult ei Deus donatum. Ergo uti scarabæus, qui cervus volans dicitur ob similitudinem cornuum, fimo assuetus, rosæ odore moritur, teste Aristotele, de mirab. cap. CXL. ita etiam odore, imo aspectu solo divinæ bonitatis tabescit et enecatur, imo ex ea velut flore saluberrimo venenum fugit invidus.

II. Quia partus et imago est spiritus illius nequam, (sic vocatur I. Reg. XVI. Act. XIX.) qui parens et auctor hujus peccati fuit et per id mortem omniaque mala in mundum invexit, ut testatur Sapiens, cap. II. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius:* cum enim invideret felicitati primorum hominum et universim generi humano, quod a Deo exaltatum magisque exaltandum, ipse vero a sua felicitate dejectus esset, inde motus est ad seducendum hominem et faciendam genus humanum. Unde S. Augustinus, l. I. de doctrina christiana ait: « Invidia vitium diabolicum, quo solo diabolus reus est et inexpugnabiliter reus. Non enim diabolo dicitur, ut damnetur: Adulterium commisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed hominis statui invidisti. » Nec contentus fuit diabolus per invidiam dejectis hominem, sed studuit hoc ipsum malum latius propagare et hominibus insinuare ad dejectiendos alios quam plurimos. Ipse instigavit Cainum ut invideret fratri et inferret necem; concitavit Esau contra Jacob; filios Jacob contra fratrem Josephum; Mariam contra Moysen fratrem; Saulem contra Davidem, etc. idemque adhuc facit semper obnoxissime; quemadmodum Christus conquisivit sibi discipulos, quos suos agnosci voluit ex symbolo charitatis: *In hoc cognoscent omnes,* inquit Joan. XIII. *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ita e contrario diabolus conquisivit sibi discipulos, qui aliis invidiant. Uti enim invidia charitati, ita diabolus adversatur Christo. Verissime ergo Chrysostomus: *Invidia, ait, pestiferum malum hominem in diaboli conditionem ac in dæmonem inmitissimum convertit,* hom. XLI. in Matth. Causam reddit idem auctor paulo superius, his verbis: *Quemadmodum dæmones nostris damnis lætantur: sic invidi calamitate proximorum exultant.* Viderint ergo invidi, cujus partis sint. *Imitantur illum,* ait Sapiens ubi supra, *qui partis illius sunt;* cujus proinde partem et hereditatem sortientur in inferno.

Et vero non ita mirum est dæmonem invidere homini, quam hominem homini. *Invidet quidem dæmon,* inquit S. Chrysostomus, *sed hominibus: tu vere cum sis homo hominibus invides, et quomodo consequeris ventiam?* Habes igitur hic adversarios duos Deum et diabolum. Ille omnibus bene cupit, iste omnibus male. Vide quem sequaris. Veterum sapientum placitum hoc fuit: *Sequere Deum,* teste S. Ambros. l. I. de Abraham, cap. II. *stultorum invidentium placitum est: Sequere diabolum.*

III. Quia proximum nequiter et sinistre aspicit

Primo enim, quem colore ob dona illi collata, amare et admirari deberet, eum perdere quærit: uti Saul Davidem omni virtute præditum eoque nomine omnibus carum. Ideoque de illo bene dicitur: *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David,* I. Reg. XVIII. Quem enim ob præclara gesta extollere debebat, nitebatur e medio tollere, modo eum lancea impetendo, modo Philistæorum gladio exponendo, modo ad necem quærendo. Denique, laudatissimos quosque fere perdidit invidia, uti Abelem et ipsum Christum, quem Judæi Pilato ex invidia tradiderunt, Matth. XXVII. Ea est fera illa pessima, quæ devoravit innocentem Joseph, Gen. XXXVII. et Danielem tradidit leonibus, Dan. XIV.

Secundo, quærit in ipso, quod calumniari possit, ad instar Sodomitarum, qui circumeuntes domum Loth ostium quæserunt, sed ab angelo cæcati parietem tantum palparunt, ostium non invenerunt. Audi Gregorium, l. IX. moral. c. XVI. « Percussi cæcitate quasi domum circumeunt quia invidentes dicta factaque perscrutantur: sed quia eis de vita justi fortis undique et laudabilis actio obviat, errantes nihil aliud quam parietem palpant, etc. »

Tertio, sinistra tantum in proximo intuetur, non dextra, id est, ea quæ vituperii, non quæ laudis sunt: item sinistra proximi fortuna delectatur, prosperitate ejus offenditur. Hinc invidi comparari solent vulturi, qui cadaveribus pascitur eorumque odorem sectatur, unguenti odore offenditur et perimitur, auctore Clemen. Alex. l. II. pædag. c. VIII. Paulo aliter S. Basilius, hom. XI. de invidia, ait: « Sicut vultures pratis amœnis et odoratis desertis, ad tabida et fæculenta loca feruntur, muscæ quoque præteritis salubribus membris ad ulcera properant: sic invidi neglecto vitæ splendore et rebus magnifice gestis, errata tantum observant et divulgant. » Similes præterea sunt noctuæ, quæ caligine oblectatur, lucem autem fugit. Hominibus, qui noctu melius vident quam interdiu, quales apud Albanos reperiri scribit Aulus Gellius, l. IX. noct. Attic. cap. IV. Quibus accenseri potest Heli, qui ut habetur, I. Reg. III. *Videre non poterat lucernam Dei antequam extingueretur* (sic enim multi legunt) non poterat videre Heli splendorem Dei lucernam, et tamen videre potuit Annam labia moventem indeque conjecit esse temulentam: cujusmodi ophthalmia laborant invidi, quia virtutum splendore offenduntur, caligine malefactorum oblectantur.

Quarto, sinistra, hoc est, adversa et noxia proximo imprecatur et cum potest, infert: sibi vero dextra, hoc est, prospera et utilia quærit et præripit. Hujusmodi perditam malignitatem reperire

est etiam in coturnice, quæ aquam, ex qua biberit, perturbare fertur, ne quod aliud animal inde silium levet, Pier. l. XXIV. hierogl. Ita videmus canes comedere objecta etiam ultra appetentiam, ne feles fiant participes. Idem faciunt invidi.

IV. Quia sibi ipsi nocet, non alteri cui invidet. Dixit Ecclesiasticus, c. XIV. *Qui sibi nequam est cui bonus erit?* Sed quis uspiam talis? Subdit idem Sapiens: *Nequam est oculus lividi, et avertens faciem suam, et despiciens animam suam.* Cum enim ex felicitate et præclaris aliorum factis mel lætitiæ et charitatis posset colligere, tristitiæ fel extrahit, quo seipsum cruciet et strangulet; et ita avertit faciem a rebus lætis et salutaribus, ad tristes et noxias. An hoc non est despiciere animam suam? Alia certe vitia capiunt aliquid vel utilitatis, vel delectationis vel honoris; sola invidia non metit nisi dolorem. Rursum alii affliguntur, cum obtingit eis quidpiam mali: at invidus etiam cruciatur, cum evenit aliis quidpiam boni. Ob quam causam eos Evagoras bis miseros esse censuit. Et hinc optavit quidem, ut invidi oculos et aures haberent in omnibus civitatibus, quo mirum de omnium successu undique torquerentur. Denique, ut paucis dicam, invidiam animæ serram vocabat Socrates, serm. LXIII. lineam et rubiginem S. Cyprianus, serm. de zelo et livore; viperam S. Basilius, orat. contra invidiam: *Sicut enim vipers, inquit, dicunt abrupto ventre matris nasci: sic invidia concipientem se animam corrodit et tabefacit.* Idem etiam invidum comparat homini nudo, qui in medio foro omnium gladiis expositus ab omnibus transeuntibus vulneratur, vel potius in omnium gladios insanus ultro incurrit: quidquid enim cernit in aliis laude vel pretio dignum id ei infligit vulnus. Vulneratur a melioribus, dolens quod illis non æquetur; vulneratur a paribus, dolens quod sibi æquentur. Et quis unquam visus est comedere seipsum? Asserunt quidam polypum piscem rodere brachia sua, quæ tamen Plinio falsa opinio est, l. IX. c. XXIX. Quod ergo nulla facit bestia, id facit homo invidus, qui non animum tantum, sed et corpus suum livore conficit, uti ostendit Sanctus Greg. l. V. moral. c. XXXI. ex pallore vultus, oculorum depressione, dentium stridore, etc. Ut merito dixerit Sapiens, Prov. XIV. *Putredo ossium invidia,* q. d. caries seu teredo ossium, quia suum possessorem conficit.

V. Quia curationem fugit et difficillime sanatur: non secus atque oculus corporalis, qui ob teneritudinem renuit attractari, et quia reconditus est, difficulter potest curari. Ita invidiæ mor-



bus pene incurabilis est, teste Cassiano, coll. XVIII. cap. XVII. qui de illo dictum vult Jerem. VIII. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos.* Basiliscus visu necare dicitur et venenum in oculis gerere: eodem modo invidus, ideo sic dictus, quod male videat, oculo scilicet depravato et sinistro. Tales ergo reguli incantatione vix emendantur ob similes causas, quibus et oculi difficilius curantur. Primo, quia si beneficia veluti pharmaca adhibeas, magis eos exasperabis. Unde Cassianus, lib. ait: « Usque adeo incurabilis est ista perniciēs, ut blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irritetur, quia ut Salomon ait: Nihil sustinet zelus. Quanto enim amplius alius aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiae laude profecerit, tanto ille majoribus invidiæ stimulis incitatur, quæ non nisi ruinam aut mortem ejus, cui invidet, concupiscit. » Avarus placatur donis, iratus deprecatione, superbus submissione; invidus his omnibus irritatur, quia ægre videt proximum esse liberalem, mitem, humilem. Multa bona opera ostendit Christus Judæis, nihilo tamen illi meliores facti sunt, sed magis exacerbati sustulerunt in eum lapides, Joan. X. Deprecabatur Joseph fratres suos cum summa animi angustia, nec tamen fuit auditus, sed in cisternam missus et deinde venditus, Gen. XLII. Subiecit se David Sauli, *canem mortuum et pulicem unum* se appellans, nec tamen mitigavit invidiam ejus, I. Reg. XXIV. Miratur hoc S. Basilius, hom. XI. de invidia, cum ait: « Quam bestiam morum immanitate non sperant! Canes namque educatione mansuescunt, leones obsequio tractabiles fiunt, invidi tantum officio agrestiores fiunt. »

Secundo, quia vitium hoc subtile et occultum est in intimis latens visceribus, nec facile invenitur qui hoc ulcus prodere in confessione non rubescat, quia vitium pusilli et abjecti animi est, nimis interim maligni: non enim culpa eorum, quibus invident, sed prosperitate cruciantur invidi. Hinc invidere se omnes negant. Quod si quis id eis probare conetur, mille excusationes offerunt ad hujus morbi nomen obumbrandum quasi hæc sola animi ægritudo celanda sit. Ut docet Plut. I. de odio et invidiæ discrimine. Bene ergo Basilius, homil. suprad. dixit: *Sicut rubigo est ferri quasi venenum: sic invidia, quos possidet, eos conficit atque consumit.* Difficile est rubiginem a ferro abstergere: ita et invidiam abraderere de corde. Sed quid ait Scriptura? *Væ civitati sanguinum, ollæ, cujus rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea,* Ezech. cap. XXI. Miles sedulus gladium suum, quamprimum rubigine infectum

videt, perpurpare satagit cinere et oleo: idem suadeo invidis ut et ipsi faciant. Non differant hoc virus expellere ab animo, ne aliquando gladius una cum vagina, id est, anima cum corpore ejiciatur in sterquilinum. Adhibeant cinerem pœnitentiæ vel meditationem mortis, necnon oleum charitatis erga proximum.

Quæ cum ita sint, interroget unusquisque seipsum: *An oculus tuus nequam est? Memento quoniam malus est oculus nequam,* inquit Ecclesiasticus, c. XXXI. Et quomodo in te oculum malum, oculum nequam sustines? « Quid enim (inquit S. August. serm. CXLIV. de temp.) vis mali, die mihi, in omnibus actionibus tuis, cogitationibus, cupiditatibus? In terra non vis segelem malam, non vis utique malam sed bonam arborem, equum, servum, amicum bonum, bonum filium, uxorem bonam. Et quid hæc magna commemorem, quando non vis vestem malam habere sed bonam: caligam postremo ipsam non vis nisi bonam (aut da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te velle aliquid bonum.) Puto villam malam non vis, sed bonam; solam animam (oculum) malum vis? Quid te offendisti? Quid de teipso tu ipse male meruisti? Inter bona tua non vis esse malum nisi te solum. » Ergo si malum geris oculum, erue eum et projice abs te, etc.

## CONCIO VII.

## INVIDIÆ REMEDIA TAM ACTIVÆ QUAM PASSIVÆ.

Remedia activæ. — I. Contemne, quæ in mundo sunt. — II. Cogita te nil lucrari per invidiam. — III. Cogita Deum voluisse aliis dare, tibi negare. — IV. Cogita nos omnes fratres esse. — V. Cogita hereditatem æternam. — VI. Quære quæ Dei sunt, non quæ tua. — VII. Remedia passivæ: 1. In nulla re eximius esto. 2. Ne ostentes bona tua. 3. Opes laboriose acquire. 4. Bona tua aliis communica. 5. Invidios ne cures.

## THEMA.

*An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?*  
Matth. XX.

Boni medici est, auditores, non tantum morbi vim nosse et ostendere, sed etiam depellere remediis adhibitis. Malignus in animo morbus est invidia, qui curam vix admittit. Quemadmodum enim oculi difficile curantur, quia teneri sunt et reconditi; ita et invidia, per oculos plerumque ingrediens in animam, quia subtilis est et latens, uti alias vidimus. Quoniam vero aperuimus tibi vim istius mali, superest nunc, ut curam saltem pro viribus adhibeamus membro princi-

pali, oculo, inquam, malo, qui quo nequior et curatu difficilior est, eo curæ indigentior. Huc igitur se conferat et medicinam capiat, quisquis ex oculis dolet.

REMEDIA ACTIVÆ. Vis non invidere?

I. Contemne gloriam mundi et bona temporalia. Ita monet S. Basilius, hom. de invidia: « Quid nobis, inquit, faciendum, ut hanc pestem animi ab initio evitemus, aut si ea fortasse capti sumus, a nobis longe repellamus? Primum quidem est, si nihil rerum humanarum magnum aut vehementer expetendum putemus; non potentiam, non gloriam, non divitias, non corporis sanitatem, nec robur, nec pulchritudinem; non enim in rebus fluxis verum bonum constituendum est, sed æternorum honorum participatio toto studio appetenda omnique conatu consecutanda est, etc. » Cum enim parvulos tantum occidat invidia, teste Job V. indue masculum animum, quo omnia terrena longe te inferiora existimes, quasi in alto monte constitutus. Quod si vir generosus aut princeps non invidet cantori, si bene canat, sutori si bene concinet calceos, etc. quia hæc abjecta tamquam infima et sua nobilitate indigna judicat, multo magis Christianus, qui ad celum natus est, lutea hæc bona, quæ apostolus reputavit ut stercora, nemini invidere debet; præsertim quia, licet splendeant, intus tamen sæpe sordent et vanitate atque afflictione suffulta sunt. Notatu dignum observant aliqui (apud Antonium de Balinghen, in zoopædia) quod ea animalia, in quibus aliqua invidiæ vestigia reperire est, vilia tantum sint et exilia, nullum generosum aut nobile. Ejusmodi sunt caniculæ marinæ, ex quibus si qua capiatur, cæteræ id videntes circa captam assiliunt ac eam, dum hamo e profundo extrahitur, ad navem usque insequuntur, et in eam sæpe insilientes sponte sua capiuntur; idque faciunt ex invidia quasi captæ illi prædam invideant, quæ tamen ipsa potius præda facta est. Sic dum alteri honores, opes, delicias invidet, non aliud nisi hamum, quo tenetur, ei invidet; escam quam sectatur vides, sed hamum ei infixum non vides.

Adde fortunam eorum, quibus invidendum putas, non fore diuturnam. Audi psalmistam, Psalmo XXXVI. *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi et ecce non erat, et quæsi cum et non est inventus locus ejus:* et Psalm. XLVIII. *Ne timearis cum dives factus fuerit homo et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cum interierit non sumet omnia, id est, nihil sumet. Nemo invidet mortuis. Quis enim Alexandri Magni invideat prosperitati, si*

eum consideret omnibus fortunis spoliatum arde in inferno. Summus honor apud Romanos fuit triumphantium; sed ne quis eis invideret tantum hunc honorem, curru triumphali retro appensum erat tintinnabulum et flagellum, quo ostendebatur posse triumphantem in eam calamitatem incidere, ut verberibus mulctetur et capite plectatur, Rosin. X. antiq. Rom. c. XXIX.

II. Cogita te nihil lucrari ex tua invidentia, nec nocere eis, quibus invidet, sed potius prodesse, tibi vero ipsi nocere. Sic invidens homini dæmon laboravit ut deiceret eum de felicitatis fastigio incitando ad peccatum. Sed quid ei nocuit? Cecidit quidem homo, sed post lapsum erectus est ad majorem excellentiam per Christum; ipse vero confusus in sua damnatione perstitit. Invidentes Josepho fratres vendiderunt eum Ismaelitis; sed inde eversus Joseph factus est Ægypti dominus, fratres pressi fame ad ejus pedes sunt prostrati. Unde Joseph, id est, accersens dictus, quia crevit fratrum invidia. Invidens Saul Davidi, necem machinabatur, ne eum regni successorem haberet; sed ipse quidem regnum et vitam perdidit, David vero ad ejus regiam ascendit: invidentes Scribæ et Pharisei Christo quiescere non poterant, donec eum perderent, sed nil aliud lucrati sunt, quam suam perditionem et exterminium; Christus ab inferis rediens factus est cœli et terræ Dominus.

III. Cogita Deum esse, qui aliis quidem dedit, tibi vero negavit opes, honores, virtutes. Et quis potest eum arguere: *Cur ita facis? Annon licet mihi facere quod volo?* ait ipse in persona patrisfamilias. Num tu maledices ei, cui benedixit Deus? Noen scimus noluisse maledicere filio suo Cham, licet impio illusori suo, sed potius maledixisse Chanaan ejus filio, ne videlicet malediceret illi, cui benedixerat Deus, Genesis IX. ubi dicitur: *Benedixit Deus Noe et filiis ejus.* Scimus etiam Balaamum ariolum licet impium, vocatum ad maledicendum Israeli, grandi proposito præmio renuisse ac dixisse: *Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus, quia ratione detestatur, quem Dominus non detestatur,* Num. XXIII. Scimus Isaac dixisse ad filium suum Esau invidentem fratri benedictionem præreptam: *Benedixi ei et erit benedictus,* Gen. XXVII. quasi diceret: Quando Deus ita voluit, ut ei potius quam tibi benedictionem impertirem, tu noli hanc ei invidere, quia Deus vult eum esse benedictum. Quomodo ergo tu, o homo, invidetis alteri bonum, quod contulit ei Deus, quomodo tu eum vis maledictum, quem Deus voluit esse benedictum?

IV. Cogita omnes nos fratres esse et membra unius corporis. Membrum autem unum alteri